

mis, ut constet legi divinæ integritas sua & perfectio, quin & bonitas, Deique justitia manifesta fiat. Nec quicquam etiam gloriæ, gratiæque divinæ detrahitur, licet adseratur, quod quemadmodum Deus clavisimè nobis in N. T. vitam æternam in Christo promisit, ita & in V. T., pro modulo tamen & mensura, quæ ipsius sapientiæ placuit, vitæ æt. promissa fecerit. Neque enim Apostoli saltem testantur, quod Gentiles quidem fuerint extranei à testamentis promissionis, & absque Christo, Iudæorum verò melior conditio fuerit, quod spectat aurea illa S. Petri Confessio Act. XV, II. *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus, nos salvos futuros, quemadmodum Ego illis scilicet Patribus sive credentes V. T. sed & ipse Salvator noster. I. sup. cit. prodit, quod Iudei sibi persuasum habeant, se in Scripturis, V. utique T., quarum sanè præcipuam partem libri Mose saici constituunt, & in quibus etiam non minùs, quam in cœteris Christus cum beneficiis suis præfiguratus fuit & predictus, Luc 24. v. 27. vitam æternam, h. e. promissiones vitaæ æternæ habere. quam Iudæorum sententiam tantum abest, ut vel improbet, vel falsitatis, vanæque persuasionis arguat, ut potius confirmet, & diligentius scrutinium ab iisdem exigat.* Ad hęc Apostolus Paulus profitendo, quod si in hac tantum vitâ in Christum nos speremus, h. e. resurrectionem carnis ac vitam æternam per fidem in illum certò promittere nobis haut possumus, omnium hominum simus maximè miserabiles, 1. Corinth. XV, 19. sat clare indicat, pios in altera vitâ constantiora bona reposita habere, eademque firmiter sperare posse ac debere. Quomodo verò poterunt sperare, ac talia credere, de quibus nil audierunt, ac quæ illis non promissa? fides enim ac spes nituntur verbo & promissionibus divinis. Requirit itaque certa & immota bonorum spiritualium à DEO consequendorum, maximè vitaæ æternæ, spes atque fiducia non

C

in